

opia, motusque varii facile perspiciantur. Quin etiam ex eadem cuticulæ illius pelluciditate, homini propriâ, provenit pars magna eximiæ illius pulchritudinis quæ in humano vultu relucet, quæque ad benevolentiam conciliandam inter homines plurimùm valet, ideoque non erat silentio prætereunda. Hinc enim & sanguinis color, vividus cuticulæ colori decorè admistus conspicitur, & ejusdem motus varii, pro affectuum varietate, jucunda admodum spectacula, percipiuntur. Accedunt insuper risus, fletusque, passionum symptomata ad societatem condierandam, & ad arcendam sièvitiam non inutilia, quorum causas humano generi proprias jam anteā innuimus. Reliquæ omnes in cuiusq; vultu diversitates pro affectuum varietate, quæ singulæ enumerari vix possunt, oriuntur aut è tot variis sanguinis nostri motibus qui aliquatenus percipiuntur per mutationem coloris in faciei cuticula, aut insuper è motibus muscularum ad oculos reliquamque faciem pertinentium, qui cidentur à nervis quinti aut sexti paris, qui originem præbent nervo intercostali, adeoque communicant præ cæteris cum plexu hominis proprio. Ex his fit, ut quatenus in Natura hominis propria fundetur illud dictum; vultus est animi imago, indices oculi. Quin etiam in signis illa facierum diversitas, à qua fit ut inter tot myriades vix duo reperiantur similes, utilissima est ad societatis firmandas; hinc enim facile internosci possunt omnes, ut discernat quisque eum quocum pactum quodvis iniverit, aut negotium susceperit ab aliis quibuscunque, & testimonium minimè fallax ferri possit de iis quæ

N

quis-